



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

2. Quòd de facto moriantur homines, peccato Adami esse ascribendum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45701**

II. Cui ergo culpa attribuenda est, quod morbi nos afficiant, dolores angant, mortes interimant? An non illi, qui ea sciens volensque capiti suo accersuit? Custodite ergo vos à murmuratione, qua nihil prodest, & à detractione parcite lingua, quoniam sermo obscurus in vacuum non ibit: os autem, quod mentitur, occidit animam. Nolite zelare mortem in errore vita vestra, neque acquiratis perditionem in operibus manuum vestrarum. Quoniam Deus mortem non fecit, nec latatur in perditione vinorum. Creavit enim ut essent omnia: & sanabiles fecit nationes orbis terrarum: & non est in illis medicamentum exterminij, nec inferorum regnum in terra. Iustitia enim perpetua est, & immortalis. Impij autem manibus & verbis accerserunt illam. Quod etiam D. Paulus affirmat, ita scribens: Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt. Itaque Deus creavit hominem inextinguibilem, hoc est, ut immortalis & incorruptibilis esset, si vellet Deo obedire, & innocentia sua persistere. Invidia autem diaboli (peccatum intravit, & per peccatum) mors introiit in orbem terrarum. Dum enim prevaricationem suggessit tentator, Eum allexit, Adamumque in consensum traxit, meritò iustus Iudex reos morte puniuit. Corrigendus ergo est Seneca, & cum eo Philosophi, ex quorum communi sententia, Mors homini natura est, non poena: immò poena est, quod natura fuisset, nisi diuina bonitate ei, per arborem vitæ prouisum fuisset. Malè itaque Cicero naturam, quod in homines crudelis esset, eosque morbis addiceret, accusauit. Si diuina sciuiisset, aut historias sacras legisset, sciuiisset, mortem per peccatum in hunc mundum intrauisse, causamque homini ipsi, non naturæ ascripsisset. Quod eruditè animaduertit S. Augustinus, qui scribit: In libro tertio de Republica Tullius hominem dicit, non ut à matre, sed tanquam à nouerca natura editum in vitam corpore & nudo, & fragili, & infirmo; animo autem anxio ad molestias, humili ad timores, molli ad labores, prono ad libidines: in quo tamen inesset tamquam obrutus quidam ignis ingenij & mentis. Huic Ciceronis querelæ, subdit Augustinus: Neque hoc iste auctor dixit, malè uiuentium moribus effectum, sed naturam potius accusauit. Rem vidit, causam nesciuit; latebat enim eum, cur esset graue *jugum*

Sap. 1. 11.

Rom. 5. 12.

Sapient 2. 23.

S. Augustin.  
lib. 5. contra  
Iulianum.  
cap. 12. 15.

jugum super filios Adam, à die exitus de ventre matris eorum, usque in diem sepultura; cum enim sacris litteris eruditus non esset, ignorabat originale peccatum.

Malè autem etiam Pythagoras, & ex eo Origenes peccata, quæ anima antè, quàm corpori coniungeretur, in calo commiffisset, mortis & ærurnarum hominis causam esse censuerunt. Quare mox loc. cit. D. Augustinus de Hortensio, & alijs paulò altius ascendentibus subiecit: *Qui nos ob aliqua scelera suscepta in vita superiore, pœnarum luendarum causa malos esse dixerunt, aliquid vidisse videntur; ut verum sit illud, quod est apud Aristotelem: simili nos affectos esse supplicio, atq. eos, qui quondam, cùm in pradonũ Hetruscorum manus incidissent; crudelitate excogitata necabantur; quorum corpora viua cum mortuis, aduersa aduersis accommodata, quàm aptissimè colligabantur: sic nostros animos cum corporibus copulatos, ut viuos cum mortuis esse conjunctos.* Aliud nos fides, aliud sacrae historiae docent, nimirum primi parentis nostri delictum, causam esse & mortis, & omnium ærurnarum, quas posterì Adæ patiuntur. Vnde intelligitur, quàm magnum & detestabile malum sit peccatum. Nam illud hominem non solùm è Paradisi possessione ejecit, sed etiam è felicissimo illo optabilissimoque statu incorruptibilitatis præcipitatum, arborisque vitæ beneficio donoq; priuatum, tot morbis, tot calamitatibus, tot doloribus, mortique & præsentis, & futuræ subiecit. Vnicum Adami peccatum, vnica inobedientia, vnicus vetiti pomi esus in causa fuit, vt tot hominum milliones, frigora, æstus, famem, paupertatem, calamitatem, corporis morbos, animi ægritudines, necesse acerbissimas pati cogerentur: vt tam multi paruuli, alio nullo, quàm originali peccato inquinati, præter adultorum innumeram multitudinem, damnarentur: vt ipse Dei Filius ad illud expiandum ex immortalis mortalis fieri, immanes cruciatus pati, ac denique mori debuerit. Vnde meritò quisque apud se illa ratiocinatione vti potest: *Si in viridi ligno hac faciunt, in arido quid fiet?* Atque hinc rursus, quoties illum voluptas ad peccatum sollicitat, dicere: *Nonnè hanc ærurnabilem vitam sentio satis, & dolco, & detestor? Nonnè satis est, in eam, propter delictum patris mei Adæ, incidisse? An etiam iam vltro me conijciam in æternas calamitates?*

III.

Lue. 23. 32.

X

tates?